



# BANQUE COMMUNE D'ÉPREUVES

CONCOURS D'ADMISSION DE 2009

Concepteur : ESSEC

75 LA

OPTION LETTRES ET SCIENCES HUMAINES

CCIP\_LV1

**PREMIERE LANGUE**

**VERSION LATINE**

Durée : 4 heures

Jeudi 30 avril de 8h à 12h

Eloge de la déraison en amitié

L'auteur s'adresse au futur empereur Marc-Aurèle

5 Neque adolescit proinde nec corroboratur amicitia meritis parta ut ille amor subitus et repentinus. Ut (1) non aequè adoleſcunt in pomariis hortulisque arbusculae manu cultae rigataeque ut illa in montibus aesculus et abies et alnus et cedrus et piceae, quae sponte natae, sine ratione ac sine ordine sitae, nullis cultorum laboribus neque officiis sed ventis atque imbris educantur.

10 Tuus igitur iste amor incultus et sine ratione exortus, spero, cum cedris porro adolescet et aesculis : qui si officiorum ratione coleretur, non ultra myrtos laurusque procreſceret, quibus satis odoris, parum roboris. Et omnino quantum fortuna rationi, tantum amor fortuitus officioso amori antistat.

15 Quis autem ignorat rationem humani consilii vocabulum esse, Fortunam autem deam dearumque praecipuam ? templa fana delubra passim Fortunae dicata, Rationi nec simulacrum neque aram usquam consecratam ? Non fallor igitur quin (2) malim amorem erga me tuum fortuna potius quam ratione genitum.

20 Neque vero umquam ratio fortunam aequiparat neque maiestate neque usu neque dignitate. Nam neque aggeres manu ac ratione constructos montibus comparabis neque aquaeductus amnibus neque receptacula fontibus... Quae omnia quorsum tendunt ? ut ego recte malim impetu et forte potius quam ratione ac merito meo diligi. Quam ob rem etiam si qua iusta ratio est amoris erga me tui, quaeso, Caesar, sedulo demus operam ut ignoretur et lateat. Sine homines ambigant disserant disputent coniectent requirant, ut Nili caput, ita nostri amoris originem.

FRONTON

1) ut : *c'est ainsi que*

2) non fallor quin... : *je n'ai pas tort de...*

\* RAPPEL : L'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.

\* Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.